



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Honore, Dignis Vel Indignis, Jvste Vel Inivste, Deo
Semper Jvstissimo, Dato, Negato, Violato**

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1650

§. 7. Christi immensa humilitas in iniurijs, & despectibus preferendis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48689](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48689)

mus tractari, molliùs vestiri, sumptuosius conuiuari.

§. VII.

Christi immensa humilitas in iniurijs, & despectibus perferendis.

3. Nemo, nisi *humilis corde*, contumelias, alapas, flagra, sputa, denique crucis summam infamiam potest patienter sustinere. Omnis superbus impatiens est; omnis superbus cogitat vindictas. Tametsi enim, ad tempus, dolorem corde premat, vultuq; patientiam simulet, vt patientiæ laudem captet; animo tamen Diras coquit, & execrationes. Christus infamiam, maledicta, colaphos, virgas, flagella, foedissima militum phlegmata in diuinā faciem proiecta, ipsum patibulū, & mortem cum latronum morte communē, æquissimo animo tolerauit, numquid ergo *humilis corde* fuit? Et verò tunc de quali vindicta cogitauit? orauit pro crucifixoribus; atq; vt eos excusaret, nescire eos dixit, quid facerent. Quòd si vis altiozem humilitatis gradum; tam parui æstimat atrocissimas sibi iniurias ab hominibus illatas, vt, cùm eas posset æternis ignibus vindicare, ad vnum gemitum peccatoris, illico etiam sexcentas remittat. Putas, nullum

Luc. 23.
34.

nullum superesse altiorem gradum humilitatis? Superest. Nam non solum facilis est noster IESVS, ad omnes iniurias etiam infinitas, & infinite quodammodo acerbis ac malitiosas in se perpetratas ex animo remittendas; sed etiam paratus est ex ijs, quibus ex animo dolentibus veniamque postulanti- bus millies & millies, & centies millies relabentibus, & enormissime delinquentibus omnia condonavit, si denuò cadant, & denuò resipiscant, denuò stolam pristinam reddere, gratiam & gloriam impertiri, eosque in filios suos, & regni cælestis hæredes adoptare. Quid quod ipsos adhuc eiusmodi hostes, & tam contumaces inimicos suos, admirabili prorsus & incomprehensibili maiestatis suæ demissione, insignique, immò immensa patientiæ & bonitatis demonstratione, varijs vijs & modis, per internos S. Spiritus instinctus, per Angelos, per concionatores, per spirituales Patres, per exempla piorum, per morbos, & terrores, per beneficia, per minas & blanditias reuocat, ut vel tandem oculos aperientibus, & ad frugem redire volentibus possit veniam indulgere; & quantumuis à se auersis pœnam vindictamque æternam, vel omnino expungere,

gere, vel saltem in temporalem conuertere? Quid, quòd lædentibus, dum lædunt, beneficia refundit? Nonne Longino, dum lancea latus eius aperuit, aperuit oculos, ut videret, in quem transfigeret? Miranda pietas. dum fauciatur, sanat; & quòd hasta subit, inde sanguis & aqua exit in medicinam. Nonne hoc est esse verè *humilem corde*? Hæc omnes & nos humiliandi rationes haberemus, si à Christo discere vellemus, *quia mitis est, & humilis corde*. Potuit Christus, potuit B. Dei Mater, potuit Stephanus, & alij Sancti se se vilipendere, & his modis omnibus humiliare? Cur nos non possemus? immò cur non deberemus?

§. VIII.

Christus, etsi peccare non potuit, tamen, ut peccator, immò tamquam latro passus, quantum hominibus peccatoribus dederit exemplum humilitatis?

At Sancti in infimo quoque loco, atque, etiam infra ipsos peccatores, se se demisere? Christus id sanè non potuit, quia impeccabilis fuit. Deus enim erat, qui secundùm diuinam naturam non potuit facere contra Deum, secundùm humanam autem naturam ipsa eum diuina hypostasis,
cum